Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 917

Quelle:
Copyright:

dam Capita aliquatenus cum iis conveniunt, quaedam prorſus abeunt, quin in alia *Eccl*ae loca commentantur. Redit igitur dubium, an *Paterius*, *Alulfus*, *Bruno*, aliusve dicendus ſit Excerptor. *Maurianorum* ſilentium indicio eſt, nullum iis Codicem noſtro ſimilem in manus veniſſe. Abſtineo pluribus; non enim de Opere ἀνεκδοτῳ, ſed de *Gregorii* ſententiis ſermo eſt, quae alioquin in ejus Operibus vulgatae ſunt. Do tamen C. I. initium: *Omnes, qui ea, quę mundi ſunt, mente calcant* &c.

Scheda Codici inſerta ejus quidem Scriptorem facit *Luitholdum* monachum *Lunaelacenſem* nobis pluries memoratum, ſed, quae leguntur *fol.* 193. p. 2. eum potius e Canonia *S. Zenonis* in *Tyroli Lunaelacum* deportatum fuiſſe probant: *Nota, quod hij 4^or pape omnes Donaciones et bona predia et redditus libertates priuilegia Eccleſie ſancti Zenonis, liberam electionem pro prepoſito, vno ex eorum congregatione fratre profeſſo, prout et omnes ſollempnitates confirmarunt ſuis patentibus bullis, Lucius, Eugenius, Alexander, Adrianus.*

CCCCII.

U. 272 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. f. min. nitidiſſime per duas columnas exaratus, rubricis diſtinctus, κτημα quondam *Joh. Alexandri Braſſicani* noſtri, ut in Theca literae I. A. B. et per decurſum plura manus ejus veſtigia declarant, et ab eo ad *Joh. Fabrum* Ep. ut Nota impreſſa Thecae adfixa loquitur, delatus ita minio inſignitur: *Incipit prefacio yſidori in explanatione. hyſtorie. diuine. legis.* Puta *Commentaria in V. T.* allegorica, prout extant edit. *Breulianae Pariſ.* 1601. p. 413. f. Praefationis initium eſt: *Hiſtoria ſacrę legis non ſine aliqua* &c. et lectio imperfectior editis, niſi malis: *canorum aliquid reſonant* pro *ſonorum*, item: *non noſtra legat — relegat* pro *legit — relegit*, item: *noſtri temporis inſigniter eloquenti* pro *noſtris inſigniter temporibus.* Sub finem *Auguſtino* et *Fulgentio* manus *Braſſicani* interſeruit *Eucherium*, nec abs re, nec certe niſi alterius Codicis fide. Deinceps Libris ſingulis praefixus eſt *Capitum* Elenchus, ut in Editis. *Geneſis* incipit: *Creatura celi et terre quomodo hyſtorialiter* &c. nec deeſt in textu, unde perficiantur Edita. Ita v. g. C. I. *fecit Deus coelum*, addendum e Codice *et terram.* C. II. *quod in lucis nomine*, interponendum, *quod in Eccleſia lucis nomine.* Item: *ut ibi ſuſpicientes* interponendum *ſpirituales*, et mox legendum, *quaſi inter aquas* pro *qualiter inter aquas* &c. Tractatio integra in *Machabaeis* terminatur: *ſuntque uniuerſa myſteriis conſummata. Per dominum noſtrum* &c.

Fol. 85. ſequitur *Elegia* XLVIII. Diſtichorum, quorum tamen *duo* Verſiculi exciderunt. Ea decurſa legas: *Explicit liber yſidori in explanatione hyſtorię legis diuine.* Credas igitur illam ad hoc Opus pertinere, et eſſe quoddam